timeretur: Quid porro ꝓdeſſet timor: niſi:
Miſericors ⁊ miſerator dn̄s: eſcā
daret timentibꝰ ſe: Eſcā que nō corrū
pitur: panē qui de celo deſcendit: quē nul
lis meritis dedit: Etem̄ chriſtus ꝓ impijs
mortuꝰ eſt: Nemo ꝗ̄ talē eſcā daret: niſi mi
ſericors ⁊ miſerator dn̄s. Qd̄ ſi tātā dedit
huic vite: ſi verbū carnē factū peccātor iuſtifi
candus accepit: quid in futuro ſeculo glo
rificatꝰ accipiet: Memor em̄ erit in
Alia lra. ſeculū teſtamēti ſui: Nec totū dedit q̄
† virtutē. pignꝰ dedit. † Fortitudinē operū ſuo
rū annūciabit pplo ſuo. Nō ꝯtriſten
tur iſraelite ſancti: q̄ dimiſerūt oīa ſua ⁊ ſe
cuti ſunt eū: nō ꝯtriſtentur dicētes: Quiſ
nā poterit ſaluꝰ fieri: qꝛ faciliꝰ intrat came
lus ꝑ foramē acus q̄ꝫ diues in regnū celo
rū: Annūciauit eis fortitudinē operū ſuo
rū: qm̄ q̄ hoibus difficilia ſunt deo facilia
ſunt. ❡ Ut det illis hereditatē gen
tiū: Itū eſt em̄ ad gentes: ꝓ̄ceptū diui
tibus huiꝰ ſeculi nō ſupbe ſape: neq̄ꝫ ſpare
in incerto diuitiaꝝ: ſ; in deo viuo cui facile
eſt qd̄ hoibꝰ difficile ē. Sic em̄ multi vocati
ſunt: ſic occupata ē hereditas gentiū: ſic fa
ctū eſt vt etiā plurimi q̄ dimiſerunt oīa ſua
in hac vita vt ſequerent̄ eū: vitā etiā ipam
ꝓ nois eius ꝯfeſſione ꝯtemnerēt: ⁊ tāq̄ꝫ ca
meli hūiliantes ſe ad portāda onera ꝑſſu
rarū: intrarēt etiā ſicut ꝑ foramē acus ꝑ cō
pungētes paſſionis anguſtias. Ipſe fecit
hec cui oīa poſſibilia ſūt. Opa manuū
eius veritas ⁊ iudiciū. Teneat̄ veri
tas ab his qui iudicant̄ hic: iudicāt̄ ħ mar
tyres ⁊ ad iudiciū ꝑducūtur: quo nō ſolū
eos a quibꝰ iudicati ſunt: ſed etiā angelos
iudicēt: aduerſus q̄s eis erat colluctatio:
etiā cū ab hoibus iudicari viderent̄: q̄ſ nō
ſepararet a chriſto tribulatio: anguſtia: fa
mes: nuditas: gladius. ❡ Fidelia: enim:
oīa mandata eiꝰ: Nō fallit: exhibet qd̄
ꝓmiſit: nō tn̄ eſt hic expectandū: nō ħ ſpe
Alia lra. randū: ſed Cōfirmata: ſunt: in ſeculū
† nō habet. ſeculi: facta in veritate ⁊ † † iuſticia.
† equitate Hoc eſt verū ⁊ iuſtū: vt hic laboret̄: illic re
quieſcat̄: Quia. ❡ Redēptionē miſit
pplo ſuo: Un̄ aūt rediniunt̄: niſi a capti
uitate ꝑegrinationis huiꝰ: Nō ꝗ̄ requies:
niſi in celeſti patria reqratur. Dedit quidē
deus iſraelitis carnalibꝰ terrenā hieruſalē
q̄ ſeruit cū filijs ſuis: Sed ħ vetus teſtamē
tū eſt ad veterē hoiem ꝑtinēs. Qui aūt ibi
figurā intellexerūt: heredes etiā tunc noui
teſtamēti extiterūt: qm̄ que ſurſum eſt hie
ruſalē libera eſt: q̄ ē mater noſtra eterna in
celis. Vetere aūt illo re ipſa ꝓbatū eſt trā
ſitoria ꝓmiſiſſe. Mandauit: quippe: in
eternū teſtamentum ſuū. Sed quid:
niſi nouū: Cuius heres quiſq̄s eſſe volue
ris nolo te fallas: nec terrā trahentē lac ⁊
mel carnaliter cogites: nō amena predia:
nō hortos fructiferos ⁊ opacos: nō tale ali
quid mediteris adipiſci: quale ſolet ħ ocu
lus auaricie concupiſcere. Cū em̄ ſit radix
omniū malorū cupiditas ꝑimenda eſt: vt
hic cōſumatur nō differenda vt ibi ſatiet̄.
Primo penas finge: gehennas deuita: an
teq̄ꝫ deſideres ꝓmittentē deū: caue minā
tem. ❡ Sanctū ⁊ terribile nomē ei
us: Pro delitijs aūt oibus huiꝰ ſeculi q̄
les vel expertus eſt: vel augere ac multipli
care cogitando potes: imortaliū deliciarū
matrē concupiſſe ſapientiā. Sed ❡ Ini
tium ſapiētie timor dn̄i: Delectabit
illa ⁊ ineffabiliter ꝓculdubio delectabit ca
ſtis atq̄ꝫ eternis veritatis amplexibus: ſed
prius tibi donāda ſunt debita: q̄ꝫ ꝓ̄mia fla
gitanda. Initiū ergo ſapientie timor dn̄i. Alia lra.
† Bonus † eſt itellectus: Quis negat: † intellectus
Sed intelligere ⁊ nō facere periculoſū eſt. bonus
Bonus ergo † facientibus: Nec extollat † omnibus
mentē in ſuperbiā. Cuius em̄ timor eſt ini
tium ſapientie. † Laus eius manet in Alia lra.
ſeculū ſeculi. Et hoc erit premiū: hic fi † Laudatio
nis: hec ſtatio ſedeſq̄ꝫ ꝑpetua. Illic em̄ iue
niuntur: mandata fidelia cōfirmata in ſe
culū ſeculi: Ipſa eſt hereditas noui teſta
menti mandata ineternū. Unā petij inq̄t
a domino hanc requirā vt inhabitē in do
mo dn̄i ꝑ omnes dies vite mee. Beati em̄
qui habitant in domo tua dn̄e: in ſecula ſe
culorū laudabunt eum: quoniā laus eius
manet in ſeculū ſeculi.

❡ Explicit Tract. de pſ̄. CX.
Incipit Tract. de pſ̄. CXI.

C c Redo qd̄ attendiſtis fratres huiꝰ
titulum pſalmi: memorieq̄ꝫ man
daſtis. Cōuerſio: inquit: Ag
gei ⁊ Zacharie. Nondū erant iſti pro
phete cū iſta cantata ſunt. Nāq̄ꝫ inter tem
pus Dauid: ⁊ trāſmigrationē populi iſra
el in babyloniā: quattuordecim generatio
nes numerant̄: ſicut diuina ſcriptura maxi
meq̄ꝫ Matheus euāgeliſta teſtatur. Euer
ſi autē templi renouatio ſcd̄m ſancti Hie
remie ꝓpheciā: ex illa tranſmigratione poſt
ſeptuaginta annos ſperabat̄. Qui cū com
plerētur ſub Dario rege babylonis: imple

ti ſunt ſpiritu ſancto: hi duo ꝓphete Agge
us ⁊ Zacharias: ⁊ ambo poſt inuicē intra
vnū annū ꝓphetare ceperūt: qđ ad reno-
uationē templi: ſicut tanto ante p̄dictū eſt
ꝑtinere videbatur. Sed q̄ſquis corꝑaliter
geſtꝰ oculū cordis infigit: nec inde in gra
nā ſpūalis intellectus extendit: habitat co
gitatiōe in lapidibus tēpli: quibꝰ viſibilis
fabrica manibus hoim̄ inſtructa cōſurgit:
nec ipſe lapis viuus efficitur tēplo illi ac-
cōmodatus atq aptus. Qđ in ſuo corꝑe
p̄mū dn̄s figurauit cū ait: Soluite templū
hoc ⁊ triduo ſuſcitabo illud. Eſt em̄ corpꝰ
dn̄i plenius ip̄a ſancta eccl̄ia: cuius caput
aſcendit in celū: q̄ eſt maxime lapis viuus:
lapis angularis: de quo beatꝰ Petrus di-
cit: Ad quē accedētes lapidē viuū ab hōi
bus reprobatū: a deo aūt electū ⁊ honorifi
catū: Et vos ḡ tanq lapides viui edifica-
mini in domū ſpiritualē in ſacerdotiū ſanc
tū offerentes ſpūales victimas acceptas
deo ꝑ Jeſum chriſtū: q̄ꝛ cōtinet ſcriptura:
Ecce ponā in ſyon lapidē angularē electū
p̄cioſum: ⁊ qui crediderit in illū nō cōfun-
detur. Ergo vt fiat quiſq lapis viuus ad
talē fabricā idoneus: ſpūaliter intelligat tē
pli renouationē ex ruina vetere que ī Adā
facta eſt: reparationē noui populi ſc̄m no-
uum hominū atq celeſtē: vt ſicut portaui-
mus imaginē terreni: portemus ⁊ imaginē
eius q̄ de celo eſt: quo poſſimꝰ poſt oēs ſe
culi huiꝰ etates tanq poſt ſeptuaginta an
nos: qui myſtico ꝑfectionis numero p̄ſig-
nant: ⁊ tanq poſt captiuitatē longinq̄ pe-
regrinatōis nō ruitura mole cōſtrui: ſ; eter
na īmortalitate ſolidari. Spūalē q̄ppe hie-
ruſalē nō magis hieruſalē iudeoꝝ q̄ vr̄am
eſſe deputetis. Sicut em̄ dicit Apl̄s: Jam
nō eſtis ꝑegrini ⁊ inq̄lini: ſed eſtꝭ ciues ſan
ctoꝝ ⁊ domeſtici dei: ſupedificati ſuꝑ fun-
damentū aploꝝ ⁊ ꝓphetaꝝ: ipſo ſūmo an-
gulari lapide exiſtēte chriſto Jeſu: in q̄ oīs
edificatio cōſtructa creſcit in tēplū ſanctū
in dn̄o: in q̄ ⁊ vos coedificamini in habita
culū dn̄i in ſpū: hoc eſt templū dei ad qđ ꝑ
tinet ſacramentū ꝓphetatōis Aggei ⁊ Za
charie. Cui rurſus idē Apl̄s dicit: Tēplū
em̄ dei ſanctū eſt qđ eſtis vos. Quiſq̄s igi
tur ſe ad opus hꝰ coedificatōis: ⁊ ad ſpem
ſancte firmeq cōpaginis: tanq lapidē vi-
uū ab huius mūdi ruinoſa labe ↄuertit: in
telligit titulū pſalmi: intelligit cōuerſionē
Aggei ⁊ Zacharie. Cātet ḡ q̄ ſequunt: nō
tam lingua ⁊ voce q̄ vita. Erit em̄ edificij

ꝑfectio ineffabilis pax illa ſapientie: cuius
eſt initiū timor dn̄i. Inde ergo īcipiat quē
coedificat iſta cōuerſio.

Expoſitio pſalmi.

BEatꝰ vir qui timet dn̄m: in
mādatis eius volet nimis.
Uiderit deꝰ qui ſolus ⁊ veraciter
⁊ miſericordit iudicat: quantū iſte ꝓficiat
in mādatis eiꝰ: q̄m tēptatio eſt vita hūana
ſuꝑ terrā: ſicut ſctūs Job dicit. Et iteꝝ ſcri
ptū ē: Qm̄ corpꝰ qđ corrūpitur aggrauat
animā: ⁊ deprimit terrena inhabitatio ſen-
ſu; multa cogitantē. Qui aūt iudicat nos
dn̄s eſt: nec an̄ tp̄us iudicare debemꝰ do-
nec veniat dn̄s ⁊ illuminet abſcōdita tene
braꝝ: ⁊ manifeſtet ↄſilia cordiū: ⁊ tūc laus
erit vnicuiq a deo. Uiderit ḡ ille quantū
q̄ſq ꝓficiat in mādatis eiꝰ: tm̄ volet nimis
qui pacē illiꝰ coedificatiōis adamauerit:
nec iā deſꝑare dz: q̄m in mādatis eiꝰ volet
nimis: ⁊ pax in terra hoibꝰ bōe volūtatis.
Uñ Potēs in terra erit ſemē eiꝰ:
Semē future meſſis: opa eē miſc̄dīe Apl̄s
teſtis eſt: qui dicit: Bonū aūt faciētes nō
deficiamus: tp̄e em̄ ꝓprio metemus. Et ite
rū hoc aūt inq̄t: qui ꝑce ſeminat ꝑce ⁊ me-
tet. Quid aūt fratres potentius: q̄ vt reg-
nū celoꝝ: nō ſolū Zacheus emat dimidio
rerū ſuaꝝ: ſed ⁊ vidua duobꝰ minutis: ⁊ tā
tundē ibi vterq poſſideāt: Quid potētius
q̄ vt idē regnū ⁊ theſauris diuiti: ⁊ calice
aque frigide pauꝑi valeat: Sūt autē q̄ iſta
faciant dū terrena cōquirūt: aut hic merce
dem ſperantes a dn̄o: aut hominibus pla
cere cupiētes. Sed Generatio rectoꝝ
benedicet. Id eſt opa coꝝ quoꝝ bonus
deus iſrael q̄ recto ſunt corde. Rectū aūt
cor eſt nō reſiſtere patri emēdanti: ⁊ credē
pollicēti: nō eorū quibꝰ cōmouent pedes
⁊ effunduut greſſus atq labunt: ſic in alio
pſalmo canit: dū zelant in pctōribꝰ pacem
pctōꝝ videtes: ⁊ putāt ꝑire opa ſua: q̄ꝛ nō
eis merces reddit ꝑitura. At iſte vir qui ti
met dn̄m: ⁊ in templū ſanctū dei cōuerſio-
ne recti cordis aptatur: nec gloriā hominū
querit: nec terrenas diuitias ↄcupiſcit. Et
tñ Gloria ⁊ diuitie in domo eiꝰ:
Domus em̄ eiꝰ cor eiꝰ eſt: vbi deo habitā-
te opulētius habitat cū ſpe vite eterne: q̄
hoibus habitātibus in marmoratis laque
atiſq tectis cū timore mortis eterne. Hu- Alia lr̃a. ⁊ eius.
ius: em̄: iuſticia manet in ſeculū ſe-
culi. Ip̄a eiꝰ gloria: ipſe diuitie. Illiꝰ enī
purpura ⁊ byſſus: ⁊ epule ſplēdide: ⁊ cum

preſto ſūt trāſeunt: ⁊ cū ad finem venerint
aque guttā ex digito ſtillantē deſiderās ar
Alia lr̄a. † nō habet.
dēs lingua clamauit. Exortū eſt in te
nebris lumē rectis † corde: Merito
dirigūt cor in deum ſuū: merito ambulant
recti cū deo ſuo: ꝑponentes ei⁹ voluntatē
ſibi: neq̄ de ſua quicq̄ ſuꝑbe ꝑſumentes.
Meminerunt enī fuiſſe ſe aliqn̄ tenebras:
nūc aūt lucē in dn̄o. Miſericors ⁊ mi
Alia lr̄a. † nō habet.
ſerator ⁊ iuſt⁹ dn̄s † de⁹. Delectat qđ
miſericors ⁊ miſerator: ſ; terret fortaſſe qđ
iuſtus dn̄s de⁹. Nulla deſꝑatōe formides
beate vir q̄ times dn̄m: ⁊ in mādatis eius
voles nimis. Eſto ſuauis: miſerere ⁊ cōmo
da. Ita enī iuſt⁹ eſt dn̄s de⁹: vt iudiciū illi
Alia lr̄a. † Iocundus homo.
ſine miſcđia faciat q̄ nō fecit miſericordiā.
† Suauis: aūt: vir q̄ miſeret ⁊ cō
modat: Nō enī eū euomet de⁹ ex ore ſuo
tāq̄ inſuauē. Dimittite inq̄t ⁊ dimittet vo
bis: date ⁊ dabit vobis. In eo qđ dimittis
vt dimittatur tibi miſereris: in eo qđ das vt
det tibi cōmodas. Quis enī generali no
mine oīs miſcđia dicat qua miſero ſubue
nit: intereſt tn̄ vbi nō īpendis nec ſūptū pe
cunie: nec corꝑalis laboris induſtriā: ſ; ig
noſcēdo qđ in te q̄ſq̄ peccauit: ⁊ tuoꝝ gra
tis cōparas veniā pctōꝝ. Hec duo benig
nitatis officia ignoſcendoꝝ pctōꝝ: ⁊ bn̄fici
orū erogandoꝝ: ſicut in euāgelio qđ cōme
morauimus: Dimittite ⁊ dimittet vobis:
date ⁊ dabit vobis: ſic in iſto v̄ſu arbitror
eſſe diſtincta. Suauis vir q̄ miſeretur ⁊ cō
modat. Nec pigri ſimus ad h̄ fratres: glo
riā q̄rit q̄ deſiderat vindicari ſe. Sed attē
de qđ ſcriptū eſt: Melior ē q̄ vincit irā q̄
qui capit ciuitatē. Diuitias q̄rit q̄ nō vult
dare pauꝑibus. Attēde qđ ſcriptū ē: Ha
bebis theſaurū in celo. Nō g̃ eris inglorio
ſus in ignoſcendo: q: de ira victa laudabi
li⁹ triūphat: nō egenus tribuendo: q: the
ſaur⁹ celeſtis certius poſſidet. Hūc verſū
ꝑturiebat ille ſuꝑior: gloria ⁊ diuitie in do
Alia lr̄a. † diſponet.
mo eius. Qui hec itaq̄ facit. † Diſpoſu
it ſermōes ſuos in iudicio: Facta ip
ſa ſermones ſunt quib⁹ in iudicio defendet
qđ ei nō erit ſine miſcđia: q: ⁊ ipſe fecit mi
Alia lr̄a. † quia.
ſericordiā. † Qm̄ in eternū nō cōmo
uebit. In memoria eterna erit
iuſtus: In memoria eterna erit iuſtus: q:
ad dexterā ſegregat⁹ audiet: Venite bene
dicti patris mei ꝑcipite regnū qđ vobis pa
ratū eſt ab origine mūdi. Neq̄ enī aliq̄ il
lic eoꝝ: niſi oꝑa miſcđie cōmemorant. Au
diēt g̃ venite bn̄dicti patris mei: q: genera
tio rectoꝝ benedicet. Sic in memoria eter
Alia lr̄a. † nō habet. † auditione mala.
na erit iuſt⁹. † Et ab † auditu malo nō
timebit: Quod dic: audiēt hi q̄ a ſiniſtris
erūt: Ite in ignem eternum: qui ꝑparatus
eſt diabolo ⁊ angelis ei⁹. Itaq̄ hic nō ſua
q̄rit: ſed que Ieſu chriſti. Labores patien
tiſſime tolerat: promiſſa fidenter expectat.
Paratū ē cor eius ſꝑare in dn̄o:
Neq̄ vllis tēptationib⁹ frangit. Confir
Alia lr̄a. † deſpiciat. † nō habet.
matū eſt cor eius: nō commouebit
donec † videat † ſuper inimicos ſuos.
Inimici ei⁹ hic videre bona voluerūt: et cū
eis inuiſibilia promitterent dicebāt: Quis
oſtēdit nobis bona? Confirmetur ergo cor
noſtrū: nec cōmoueamur donec videam⁹
ſuꝑ inimicos nr̄os. Illi enī volunt videre
bona hoīm in terra morientiū: nos credim⁹
videre bona dn̄i in terra viuentium. Sed
magnū eſt confirmatū habere cor ⁊ nō cō
moueri: cū illi gaudent qui amāt qđ vidēt:
⁊ inſultāt ei qui quod nō videt ſperat: Et
nō cōmouebitur donec videat: ⁊ ipſe nō de
orſum qđ inimici ei⁹: ſed ſurſum ſuꝑ inimi
cos ſuos: qđ oculus nō vidit: nec auris au
diuit: nec in cor hoīs aſcēdit que ꝑparauit
deus diligentib⁹ eū. Quanti valet hoc qđ
nō videt ⁊ emitur: Tanti q̄ntū q̄ſq̄ hr̄e po
Alia lr̄a. † diſperſit.
tuerit. Propt̄ hoc ⁊ ille. † Sparſit de
dit pauꝑibus: Nō videbat ⁊ emebat:
ſed ille theſaurū ſeruabat in celo: q̄ eſurire
⁊ ſitire in pauꝑibus dignabat in terra. Nō
mirū eſt igit: ſi Iuſticia eius manet in
ſclm̄ ſeculi: Cuſtode illo qui condidit ſcl'a.
Cornu ei⁹ exaltabit in glīa. Cui⁹ hu
militas a ſuꝑbis contēnebat. Pctōr vi
debit ⁊ iraſcet: Sera illa ſcz atq̄ infru
ctuoſa penitētia. Nā iraſcet: cui magis q̄
ſibi cū dicet: Quid nob' ꝓfuit ſuꝑbia: ⁊ di
uitiaꝝ iactātia qđ contulit nobis? Vidēs cor
nu ei⁹ exaltari in glīa: q̄ ſparſit dedit pau
Alia lr̄a. † fremet.
ꝑib⁹. Dentib⁹ ſuis † frēdet ⁊ tabe
ſcet: Quia illic erit plorat⁹ ⁊ ſtridor dētiū.
Nō enī frēdet ⁊ vireſcet: ſic fieret ſi oppor
tuno eū tp̄e peniteret: ſed tūc penitebit cū
deſideriū pctōꝝ peribit. Nullo ſuc
cedente ſolacio: peribit deſideriū pctōꝝ:
Cū tranſient oīa tanq̄ vmbra: cū feno are
ſcente flos decidet: Verbū aūt dn̄i manet
in eternū. Sicut falſorū beatoruꝫ vanitate
deriſum eſt: ſic eorundē veroꝝ miſeroꝝ ꝑ
ditione ſuꝑridebit.

Explicit Tract. de pſ. CXI.

Incipit Tract. de pſ. CXII.

Prefatio.